



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Poundum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

11. *Dorothea* Abbatissa successit *Margaretæ*. Præfuit annis 20. Obiit anno 1469.
12. *Anna de Wilmersdorff* præfuit annis undecim. Obiit anno Domini 1480.
13. *Margareta*, ex *Dapiferorum de Pommersfelden* genere nata, præfuit 14. annis. Obiit anno Domini 1494.
14. *Margareta de Seckendorff* post *Dapiferæ* mortem eligitur in Abbatissam. Præfuit 21. annis. Obiit anno 1515.
15. *Kbunigundis à Gotzfelden* successit *Dominae Margaridi* rebus humanis exemptæ. Præfuit 19. annis. Celebratur fuisse re-ædificatrix collapsi & incendio deleti in seditione rusticana cœnobii. Obiit anno Domini 1534. mense Februario.
16. *Dorothea de Hirscheid* præfuit 6. annis. Obiit anno 1540. ultima hujus cœnobii gubernatrix, relinquens post se unam tantum monialem, *Barbam à Leehenrode*, qua discedente cœnobium ab *Alberto Marchione* occupatum & quæstori *Joanni Weickhersreuttero*, literato homini, gubernandum commissum est.

Rietfeldum.

Inter hoc *Pirkenfeldum* & *Neapolin*, civitatem *Brandenburgensium* *Marchionis Alberti* ad *Æstum* amnem sitam, fuit nuper adhuc ad eundem fluvium, qui & cœnobium & oppidum præterfuit, aliud mendicantium monachorum *Franciscanæ* professionis monasterium, *Rietfeldum*. Id à seditionis rusticis etiam misere devastatum & solo æquatum, hodie *Neapolitano*rum incolarum cœmiterium tantum est.

✿ ✿ ✿
POUNDUM, monialium *Cisterciensis* instituti cœnobium, infra *Ravenspurgum* civitatem Imperialem, & *Vineas Suevicas* ad initium sylvæ, per quam itur ad oppidum *Waldseeh*, amœnissimo & fertilissimo loco situm, sic cœpit, ut ex vetustis libellis collegi. Anno Domini 1227. convenerant piæ quædam sororculæ sub *Eberhardo à Rhordorff*, Abbate *Salemitano*, apud *Seefeldum* pagum *Acroniani* lacus: hæ sibi domunculam seu oratorium extruentes sex ibi annis & totidem mensibus vixerunt in pia admodum & innocenti conversatione. Postea cum aliis qui

quibusdam fororculis conjunctæ apud Puffium montem, antiquitus Suevum montem dictum, habitarunt propè Sulgovium oppidum, hodie Dapiferorum à Walburg, ubi quinque aliis annis iterum cum summa difficultate permanserunt. Erat autem ea tempestate monachus quidam Salemitanus, Burcardus à Weckhenstein: is Sulgovii apud Dominum Conradum, Pin-*Conradus,* cernam de Winterstetten ac Dominum in Niffen, Friderici Im-*à Winter-* peratoris nomine gubernatorem Sueviæ & Burgundiæ, inter-*stett.* cessit pro dictis fororibus id ignorantibus, ut is propter Christum illis fororculis consuleret & auxilio præsidioque adesset. Conradus autem ad Regem Conradum Haganoam accitus, nihil certi monacho petenti respondere potuit. Ex Haganoa vero reversus revocavit ad se Burcardum, fratrem Salemitanum, qui tum cum Friderico monacho & artium Magistro doctissimo inventus est apud Comitem de Helffenstein jacentem in extremis apud Sigmaringum. Is Burcardus cum venisset, ingressi sunt Conradus Pincerna & Conradus à Winada cum fratre Burcardo monasteriolum, ut viderent statum & vitam ejus loci monialium: cumque eas fundatorem nullum habere intellexisset Conradus Pincerna, pollicitus est se fore fundatorem & constantissimum monasticæ hujus congregationis tutorem ac defensorem: mox itaque ex arce sua frumenta & vina mittens, ad sufficientem monialium sustentationem, statim etiam de commodiori loco construendi cœnobii cogitavit. Elegerat autem ad hoc ipsum primo pagum Geillhofensem, sed adversabantur monachi Augiæ minoris: elegerat & alia loca, sed tamen Poundinus pagus visus est ad extruendum locum sacrum omnium commodissimus. Anno itaque 1230. dedit præfectis suis 180. libras obulorum, quibus ligna ad ædificandum idonea adornari facerent, monasteriumque extrui curarent. Cumque iam accedentibus aliunde etiam quotidianis subsidiis exædificatum esset, translata sunt moniales ex Bussenfens montis vicino oratorio Poundum anno Domini 1241. in die Innocentium. Harum gubernatrici & Abbatissæ, Domine Annæ à Franckenhofen, religiosissimæ femine, quæ diu præfuerat piis his sororibus antea quoque, cœnobiū commendavit, & ha-

& habitandum dedit Conradus Pincerna unâ cum omnibus ad id pertinentibus bonis, pagis, agris, vineis ac redditibus, quibus uti ac frui libere & licite deberent sub observantiâ religionis & in diligenti exercitio piorum cultuum. Mox vero à patre suo, Reverendissimo Episcopo Constantiensi, Henrico à Thann, Domino in Waldburg, hoc etiam impetravit ac precibus facile obtinuit, ut recens conditum monasterium digne ab eo consecraretur, quod factum est in octava S. Apostoli Joannis. Quicumque autem isti consecrationi interfuerunt, hi in Altorfesdi vicino pago liberalissime & lautissime excepti ac tractati sunt. Postea elapso biennio, in vigilia S. Matthiæ Apostoli, obiit Dominus fundator, Conradus Pincerna à Winterstetten & Dominus in Nisfen, qui cum conjuge sua Domina Guta quiescit in domo capitulari hujus sui monasterii Poudensis in splendido ac de terra elevato tumulo.

*Conrad
à Smal-
neck.*

Sequenti anno, videlicet 1344. dotavit idem monasterium liberalissime Dominus Conradus à Smalneck, fundatoris Conradi gener, qui Imperatoris Friderici II. castra secutus obiit postea in Apulia & ibi sepelitur apud Barulium seu Brulionium. Ejus conjux Domina Irmengardis, fundatoris filia, post defunctum & in acie cæsum charissimum maritum tanto mœrore percussa est, ut vitam suam honestissima conversatione sub obedientia regulari deinceps transegerit & in Christo finierit inter sanctas preces ac pia jejunia in hoc ipso monasterio, à parentibus suis laudabiliter fundato & dotato. Hæc maxima etiam hujus monasterii fuit benefactrix studiosissima, eodem loco cum parentibus sepulta.

*Abbatiss.
numerus.*

hoc loco ex ordine breviter subnotatas.

1. *Tudecha*, prima collectarum sororum prope Bussium parens ac gubernatrix, pia admodum & religiosa femina, præfuit annis quinque & obiit anno 1232.

2. *Anna*, nobilis virgo de Franckenhofen, successit Tudechæ. Præfuit 12. annis. Obiit anno 1244.

3. *Irmengardis*, Conradi pincernæ à Smalneck relicta vidua, vera fundatoris Conradi & Gutæ fundatricis filia, subrogatur Dominae Annæ, sed quamdiu præfuerit, in factos non est relatum.

4. *Mur-*

4. *Margareta Selinin.* Sub ejus gubernatione primum altare Poudenensis coenobii dedicatum est anno 1275. ab Henrico, Episcopo Tridentino, in honore S. Trinitatis & Beatæ Virginis.

5. *Christina Holbeunin.*

6. *Adelbeidis Aptsreutterina junior.*

7. *Ursula à Prasberg.* Legitur ex hac vita emigrasse anno Domini 1321.

8. *Adelbeidis Aptsreutterina senior.*

9. *Catharina de Werdenbergk* Comitissa.

10. *Anna,* ex genere Pincernarum de Winterstetten, obiit anno 1400.

11. *Anna Humpifin* præfuit per unum saltem annum. Obiit anno 1401.

12. *Christina Schindelina,* patricia Ravenspurgensis, præfuit annis 33. Obiit anno Domini 1434.

13. *Wandelberga Wilina,* nobilis, obiit anno 1456. cum præfuisset annis 22.

14. *Walburgis Euglerina* sedit ad clavum annis 16. Obiit anno 1472.

15. *Margareta de Campo* præfedit Abbatiæ annis 32. Obiit anno 1504. in die Pantaleonis.

16. *Verena de Campo* præfuit 16. annis. Decessit ex hac mortali vita anno 1520.

17. *Anna Schlaibegkin* præfuit 9. annis, passa seditiosos agricolas: quibus à Suevico fœdere profligatis, ipsa egregia restitutrix & illustratrix monasterii, templiq; reædificatrix fuit. Excessit è vivis anno Domini 1529.

18. *Margareta Bregkbina,* ex Feldkirchio Rhetiæ superioris celebri oppido nata, successit Dominæ Annæ. Præfidet hoc adhuc currente Jubilæo.